

1483 dovico castris, Abduam trajicere statuisse. In hoc statu res erant, quum Respublica duorum Severinatium juvenum ad hostes transfugio, novo quodam metu perculsa est. Erant in Venetis castris quatuor Ruberti filii, juvenes florenti ætate & manu promptissimi: horum Franciscus & Galeacius, inscio patre, ad hostes, magnis, ut creditur, pollicitationibus adducti, transivere: sed in eo temperarunt, quod præter paucos domesticos comites, nulla majore equitum jactura rem Venetam affecere. Defixit primo rei novitas patris animum; mox in iram profectus superos hominesque graviter incusare, natos nunc transfugas, nunc impios appellare, quod sua perfidia patrem non solum in famæ, sed in vitæ quoque periculum adduxissent: sperare tamen se, fidem suam satis superque Venetis ad eam diem exploratam, atque enixe curaturum, ut indies & illis & omnibus foret perspectior. Misit itaque Venetias qui Patribus coram satisfacerent, excusarentque juvenum temeritatem: fidem suam ad hæc, studium, industriam, diligentiam illorum oculis subicerent; docerentque, transitionis illius culpam ad se nihil attinere: quin daturum se operam, ut, quantum in se esset, omnes brevi intelligerent, nihil Veneti imperii incolumitate sibi charius esse. Hæc ille. Verum tantum abfuit, ut suspicio ulla ob id Senaturn incesse, ut pro magno etiam negotio Patres habuerint, ducis animum literis, & eorum qui publico nomine in castris erant, hortatu erigere. Placuit præterea, Severinate petente, Francisci conjugem ex Abbatia Polesini oppido Veronam perducere, datumque id negotium Joanni Frisonio & Petro Francisco Summeripæ, Veronensibus viris spectatæ fidei, quibus curantibus, puella honorifice aliquandiu Veronæ habitata est.

Alphonsus interim, præter Cassianum ponte amni imposito, in Abduanam glaream castra tumultuose transtulit; inde Bergomatum fines ingressus, Coloniam & Ugujanum ad deditionem compulit. Tum Severinas, audito hostium accessu, ponte & munitionibus circa illum præsidio